



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 888. Usque Ad Annum 1000

**Fleury, Claude**


**August. Vind. [u.a.], 1761**

**VD18 90117921**

Præfatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66313)



## PRÆFATIO.



Ad illam pervenimus,  
Amice Lector, Hi-  
storiam Ecclesiasticam  
partem, ad illa Ec-  
clesiæ tempora, quo-  
rum lugubrem statum Scriptores  
omnes, qui res gestas hujus Sæculi  
literis mandarunt, amare desunt.  
Audiamus Eminentissimum Cardina-  
lem Baronium ad annum Christi 900.

) ( 2

En



PRÆFATIO.

*En incipit annus Redemptoris nongentesimus . . . . quo & novum inchoatur Sæculum, quod sui asperitate ac boni sterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum, atque inopia Scriptorum appellari consuevit obscurum. In cujus limine constituti . . . . antequam progrediamur ulterius, hic Lectorem monendo, præfari aliquid necessarium duximus, ne quid scandali pusillus animo patiatur, si quando videre contigerit abominationem \* desolationis in Templo, sed magis miretur, & cognoscat in ejus custodia Divinam*  
*\* Dan. 9. invigilare potentiam . . . . & † portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et paulo infra: Certe quidem, Ecclesia in nullo unquam graviore visa est versari discrimine, nec manifestiori pereundi penitus constituta periculo, quam cum ingruentibus Sæculo isto est jactata procellis . . . . At quænam mala ista, dices, & unde tanta omnium acerbissima tempestas exorta?*  
*Est*



PRÆFATIO.

*Est plane, ut vix aliquis credat, immo nec vix quidem sit crediturus, nisi suis inspiciat ipse oculis, manibusque contrectet, quam indigna, quamque turpia atque deformia, execranda insuper & abominanda sit coacta pati Sacrosancta Sedes Apostolica, in cuius cardine universa Ecclesia Catholica vertitur, cum Principes Sæculi huius quantumlibet Christiani, hac tamen ex parte dicendi Tyranni sævissimi, arroga- verunt sibi tyrannice electionem Romanorum Pontificum. Quot tunc ab eis, proh pudor! proh dolor! in eandem Sedem, Angelis reverendam, visu horrenda intrusa sunt monstra? quot ex eis oborta sunt mala, consummatae tragædiæ? quibus tunc ipsam sine macula & sine ruga contigit aspergi sordibus, putoribus infici, inquinari spurcitiis, ex hisque perpetua infamia denigrari? Quæ cuncta considerans quisquis sapiens plane horrescens in hanc prorsus sententiam mecum ibit: nihil*



PRÆFATIO.

*penitus Ecclesiæ Romanæ contingere posse funestius, tetrius nihil atque lugubrius, quam si Principes Sæculares in Romanorum Pontificum electionem manus immittant.*

Consentit de omnibus adjunctis Caveus in *Consp. ad Sæc. obscurum, seu X.* at non cum Baronio, Catholicisque omnibus, scutum Fidei arripit, nec verbis JESU Christi: *Et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth. XVI. innititur, sed cum Calvino aliisque Communionis Romanæ desertoribus in tentatione recedit, turpis transfuga. Quippe dicit, homo in falsis præjudiciis enutritus, *Nihilominus non penitus deerant hac ipsa ætate, etiam in medio Papatu, qui Tyrannidi Pontificiæ, Cælibatus Clericalis jugo, Doctrinæ de Scriptura Sacrisque lingua vulgari non habendis, de purgatorio, cultu imaginum, corporali in Eucharistia præsentia &c. viriliter restiterunt. De quibus Catalogus testium veritatis,*  
Mor-



## PRÆFATIO.

*Mornæus & Heideggerus in Historia  
Papatus, & quicumque ex reformatis  
historiam Ecclesiasticam condiderunt.*

Vulgaris in ore Adversariorum  
nostrorum calumnia est, Tyrannidem  
SS. Pontificum plenis buccis cre-  
pare. Sed præterquam quod pau-  
ci, etiam Sæculo X., Pontifices ma-  
lis moribus vixisse demonstrantur,  
Tyranni neutiquam dici possunt, qui-  
bus utpote Successoribus Summi in  
Ecclesia Vicarii, ad quem Christus  
dixit: *Pasce oves meas.* Joan. XXI.  
Reges & Principes, Patriarchæ &  
Episcopi cum toto Christianorum  
grege se sponte etiam subjecerunt.  
Cælibatus Clericalis in Sæc. X. non  
erat novum jugum, sed jam tempore  
Concilii Niceni antiqua Ecclesiæ tra-  
ditio, ut illi, qui Clericus ordinatus  
esset, imposterum nubendi libertas  
adimeretur, Teste S. Paphnutio in  
Conc. Nic. Fleur. Tom. III. pag. 186.  
Quod Catholicis non liceat S. Scri-  
pturam lingua vulgari habere falsum  
est. Ut vero etiam Sacra lingua



PRÆFATIO.

vulgari celebrentur, non expedit morem perpetuum Ecclesiæ Occidentalis mutare. Nec Doctrina de Purgatorio nova erat. Cum enim exploratum sit, Fideles in veteri & novo Testamento pro defunctis orasse, eos utique precibus viventium adjuvari credebant. Si Caveo, de Cultu Imaginum mentionem facienti, sermo est de aliquo Cultu hominibus congruo, is semper in vera Ecclesia viguit, ut Historia docet, si de cultu *Latriæ*, infantes Catholicos calumniatur. Tandem corporalis Christi præsentia in S. Eucharistia non in hoc demum Sæculo ab aliquibus affirmabatur, sed ex S. Scriptura, Auctoritate Ecclesiæ, & Christianorum in omnibus Sæculis fide demonstrabatur.

Quinam vero illi, qui SS. Pontificibus restitisse dicuntur, nisi paucissimi homines, suo Sæculo obscuriores, & manifesti Hæretici a tota Fidelium frequentia crediti?

De hoc Sæculo differens Joannes Mabillonius in *Præf. ad Sæc. V. Ben.* ait: *Nec tamen inter illas funestas*  
tem-



PRÆFATIO.

*tempestates ita Ecclesiam suam deseruit  
misericors Deus, ut Boni aliqui malis  
permisti non fuerint, quales Stephanus  
VIII. Papa. Leo VII. Agapitus II.  
miræ Sanctitatis, ac Sanctæ memorie  
Pontifex appellatus & ante eum Ma-  
rinus &c. Quin & hoc ævo per  
conversionem barbararum Nationum  
Ecclesia Christi maxima accepit in-  
crementa, cum Normanni, Rollone  
Duce, circa annum 912. Russi circa  
annum 969. mox etiam Poloni, Da-  
ni, Hungari, prædicantibus potissi-  
mum Ordinis S. P. Benedicti Alu-  
mnis, Fidem Christi susceperunt. Præ-  
terea in mediis hujus Sæculi tenebris  
eximia Ordinis Benedictini lumina  
S. Majolus, S. Udalricus, S. Wolfgan-  
gus, S. Romualdus emicuerunt.*

Lege & vale.



)( 5

CON-